

Petrus de Vinea

*Ep. II 58 (Curam et
sollicitudinem circa ea...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. II 58 (Curam et
sollicitudinem circa ea...)*

autunno 1243

Vicarius respondet imperatori, de predicta congregatione exercitus et petit pecuniam pro stipendiis, quia equos et arma obligauerant milites pro defectu stipendorum.

1. Curam et sollicitudinem circa ea, quae uestra excellentia michi iussit, et specialiter ad exercitum congregandum ex istis partibus, quibus possum studiis, ut melius potero, habere curabo. 2. Sed uestram non lateat maiestatem, quod Theutonici et Latini, stipendiarii uestri, quos ad frontieriam Vrbis posueram in Vetralla, quorum custodia et timore, immo diuina et uestra gratia faciente, ab inimicis tuta erat regio, et specialiter ex parte illa, ita quod depredationis nisi furtiue dispendium nullatenus formidabant, per magnum temporis spatium, sicut dominus Henricus Ramburgensis eorum comestabulus nouit, sua stipendia non habentes, detenti mensibus pluribus uerbis meis, quibus pro redimendis eorum equis et armis obligatis pro transacto tempore sub usuris a nobis mittenda, pro pluribus pagis stipendia pollicebar, cum non reperirent in meis promissionibus ueritatem, quidam ex eis ad partis aduersae transfugium, quibus eadem pars duplicata persoluit stipendia, confugerunt. 3. Super quo serenitatis uestrae procedat prouisio, prout uiderit expedire.